

intentus fuit, ut parentis loco ab ipsis haberi debuisset. Ejus rei specimen eximium praeiuit illo maxime bello, quod ab anno 1673 usque ad 1679 terram nostram affixit, quando et apud Caesareanos et apud Gallicanos militiae praefectos, tum literis, tum munusculis et interdum lacrymis id egit peregitque, ut a subditis suis praesentissimum exitium compluribus vicinia locis, qua militum hibernis, qua tributis immodicis illatum arceretur. Nimum haud dixero, si asseruero, Franciscum tutandis, vindicandis, sublevandis subditis ita invigilasse, ut ii bonam fortunarum suarum, queis modo fruuntur, portionem referant acceptam.

6. Rem familiarem curavit, promovit. Pari interea industria ac prosperitate usus est noster in curanda re familiari, utpote quam brevi temporis intervallo eo usque provexit, quo ut aliquando pertingeret, vix ac ne vix quidem, sperandum fuerat. Ante viginti annorum decursum¹ monasterium aere alieno 7000 circiter florenorum liberavit, census annuos, locis amplius 24 dispersos, omnes magnis impensis renovari curavit, quasdam fere praescriptione amissos redemit, domos, prata atque vinea plura coemit. Nobilem praecipue silvarum tractum abs Brockingensibus Lutheranis^{*} emeratus est. Illiusque possessionem instrumento ita solerter concinnato monasterio firmari fecit, ut illius silvae evictio jam saepius ac nuperrime admodum a Brockingensibus incassum sit tentata. Aedes saltem triginta partim ruinosas restituit, partim collapsas ab integro extruxit, in quibus eminet ecclesia domestica monasterii a fundamentis opere solido et pro temporum illorum conditione pretioso, ut pote concamerato et octo utrinque anteridibus innixo erecta, quanquam eam structuram noster non tam suam, quam dei ipsius opus censuerit. Hanc enim rem ista alicubi verba notatu dignissima perscripsit: „nota reverendissime successor, me non meis viribus, nec industria, minus pecuniis (quae respectu tanti aedificii nulla erant) hoc aedificium incepisse, sed re vera dei nixus ope ac misericordia deo meo omnia operante (me autem parum cooperante) piorum principum ad meam modestam insinuationem et sollicitationem, subditorum la-

de decursum, §f.

¹ Broggtingen, im Amte Kenzingen. Frölicher gehörte Broggtingen in das Baden-Durlach-Hochbergische Amt Emmendingen. Baden-Durlach kaufte dem Kloster Ettenheim-Münster die Gefälle in Br. ab. Was Bieröbdt Gesch. d. evang. Kirche in B. Bd. 2. S. 399 über Broggtingen u. Ettenh.-Münster sagt, scheint sich nicht auf obige Vorgänge zu beziehen.

bore et operas insperatas et innumeras voluntarias tamen, machinam tantam extrui curavi, et sensi miram dei providentiam, ut ipsemet stupens admiratus sim, unde tanta! tanta! Et tu proin fidem habe, reverendissime successor, et in deum spem tuam principaliter pone, sine quo fumus, umbra spes tuae, pecunia et divitiae, nisi a deo sint benedictae; plus enim uno obolo expertus sum, me profecisse in deum sperans, quam plurimis ex meo loculo et in loculum sperans absque deo^{**}. Quod dei misericordiae attribuat aedificatae ecclesiae gloriam, id jure facit; saepius enim ea occasione persensit benignam dei manum; at quod sibi ipsi ea in re parum tribuat, id singularis ipsius modestiae reputabunt argumentum, qui norint, non cujuscunque hominis esse, tot summos conciliare sibi patronos, quot suo loco^{**} nominabimus, qui nostro auxiliatricem manum in reaedificanda ecclesia porrexerunt. Jis ipsis eximiis patronis utique fretus integram totius monasterii molem ex ipso itidem fundamento excitasset^{***}, si per belli calamitatem et facta licuisset, haud equidem tam magnificam ad pompam, nec ita amplam ad speciem ac illam, quam modo habitamus, sed huic ipsi, si commoditatem concinnitatemque spectes, multis nominibus potioem, ut ex illius delineatione, quam oculis usurpavimus, licet conjectare. Et vel sic tamen proventus monasterii ante ipsius adventum vix 2000 florenis constantes ad 7000 florenos adauxit ita semper fere prospera usus fortuna, ut nihil susciperet, quin perficeret. Sensit quidem interdum non evitanda prorsus ignis, luis ac belli discrimina quandoque etiam detrimenta, sed ea mox reciprocantibus fortunae an providentiae accessibus large sunt compensata. Neque vero istam in rei familiaris administratione prosperitatem nihil agendo, quod sperare quidam solent, consecutus est, sed illi horas suas per caetera negotia sibi residuos assidue collocavit. Antequam in hocce monasterium advenisset, haec pars (oeconomiam dico) aequae, ut caetera omnia, in eo praesertim afflicta erat, quod nullae aut serae rationes ab oeconomis, tum religiosis, tum saecularibus redderen-

^{*} Gerbert in seiner histor. Silvae Nigrae tom II. p 416. 17. theilt dieselbe schriftliche Ermahnung des Abtes Franz mit, welche aber folgende Abweichungen hat: — et misericordia — persensi miram — unde tanta! tanta! fehlt — piam fidem, ohne proin — principalem — profecisse —. Gerbert scheint aber dieselbe nicht aus obiger vita geschöpft zu haben.

^{**} Unten im achten Abschnitt.

^{***} Im Jahre 1669 schon war der Neubau des ganzen Klosters projectirt und wurde ein Bauplan gemacht, dessen Erklärung im Ettenh.-Münst. Copiebl. 10 steht.